



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendiolvm Vitæ Admirabilis Et Pretiosæ Mortis B.  
Rosæ De S. Maria Limensis Peruanæ, Tertii Ordinis S. P.  
Dominici à S. D. N. Clemente IX. Beatis Annumeratæ**

**González de Acuña, Antonio**

**Augustæ Vindelicorum, 1668**

Capvt V. Rosæ mira Abstinentia, prodigiosa jejunia: Eadem tenerum  
corpus ciliciis, flagris, carenis domat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44063**

## C A P V T V.

ROSÆ mira Abstinentia , prodigi-  
giosa jejunia : Eadem tenerum corpus  
ciliciis, flagris , catenis do-  
mat.

Aboraret , opinor, historiæ fides, prodigio-  
sa Rosæ jejunia recensendo , nisi Lector  
admoneretur , compendium hoc, quo sanctissi-  
mæ Virginis vita delineatur, à remissoriali , ut  
dicunt, processu fide bona extractum fuisset. Ro-  
sa profectò per D. Catharinæ Senensis vestigia  
mirabiliter ad summum inediæ culmen evasit.  
Penè infans omni sibi fructuum esu interdixit,  
qui suavissimi in Peruvia nascuntur. Sexennis  
tres hebdomadæ dies nil præter panem &  
quam degustare cœpit. Anno verò ætatis deci-  
moquinto se obstrinxit voto nunquam deli-  
bandi carnem , nisi adigeretur illorum impe-  
rio , quibus non obtemperare nefas fuisset ;  
quod si aliquando fulminabatur , maximo sto-  
machi supplicio pœnas dabat virtutis eximiae,  
& non raro nauseantem ardentissima febris in-  
vasit : quoties verò jam lecto defixam delicatis  
eduliis ad salutem revocare tentarunt, in mani-  
festum vitæ discriuen adduxere; cum è conver-  
so panis frustulum aquæ infusum præsentissi-  
mam illi sanitatem sæpenumero redonaverit.  
Quod prodigium nulli admirationem incutiat,  
nam Christus ipsam Rosam docuerat : velle se

ab

ab illa rigidis abstinentiæ exercitiis constanter honorari. At Mater nimiam in exangui filia vultu maciem conspicata , hanc parsimoniam grande vocabat in crimen : Jussa proinde Rosa communi mensæ accumbere, ancillam rogavit, ut ex panis frustulo , & herbarum pugillo sibi pararet offam nullo sale conditam. Sed quas herbas sibi Virgo legebat, amarissimæ erant, & agresti saporis malignitate torquebant palatum. has illa è vicina sylva petitas alebat in horto studiosè, cuius sub sepibus vasculum abdiderat vervecino felle plenum, & hoc cibos aspergere , & os quotidie summo manè solita erat imbuere. Granadillæ , quo in flore mirabili perennant instrumenta cædis divinæ , amarissimæ frondes dulcem illi , & quotidianum saporem elaborabant. Dubitari ergo meritò potest, duriusne à talibus cibis, an ab ipsa inedia tormentum esset. Duplici se torquebat jejuniorum genere, & quo semel tantum in die tenuerat panis, & aquæ refectionem delibabat , & quo per totum diem, noctemque penitus gustabat nihil. Primum ferè quotidianum præsertim ultimis viræ annis religiosius ab illa servabatur sepræm continuos menses , à festo exaltatæ sanctæ Crucis ad usque Dominicam Resurrectionem. At incunte quadragesima omnem sibi subtrahebat panem, solis malorum aureorum seminibus parcissimè victitans , iisque tantum quinque , dum sexta feria recurreret:

Re-

Reliquo anni tempore, quod octo diebus abs-  
sumebat, vix unica die tolerandæ vitæ, sat esse  
credebatur. Unico pane, illoque sat exiguo, &  
aqua vasculo quinquaginta dies aliquando trans-  
egit, aliaque vice idem spatum decurrit ne gut-  
tula quidem aquæ recreata. Supremis annis  
transmittebat complures dices sine omni pror-  
sus alimento. Feria quinta se includens in do-  
mestico Oratorio, nec inde ad Sabbathum usque  
digressa protrahebat triduum omnino insomnis,  
impransæ, incœnata, & uni angulo affixa omni-  
no impos ab illo, vel ad momentum surgere.  
Quid quod octo solidos dies nullum præter di-  
vinam Eucharistiam alimentum admisit? Vul-  
gare sit aquæ ipsius haustu gustum fraudasse.  
Transactis hebdomadis quampluribus sine po-  
tu, & cæteroqui hausta non aqua gelida, sed  
plerumque calenti. Prodigiosum est plus vi-  
rium à jejunis accepisse, quam à cibo, eò quod  
cum sua Magistra Catharina vulnerati Christi la-  
teris ambrosiam degustabat. Prodigio quoq;  
simile est, superfuisse in arido corpore locum,  
qui flagella, exciperet, sanguinem, qui verbera  
sequeretur. At nisi per Confessarios modus  
illi fuisset impositus, mortem nimius properas-  
set ardor corporis castigandi. Postquam sanctæ  
Catharinæ habitum induit non contenta vulga-  
ribus funiculis, duas sibi catenas ferreas aptavit  
in flagrum, quibus per noctes singulas ita se  
cruentabat, ut sanguinis rivi parietes, & pavi-

mentum aspergerent, præcipue ut scelesti meliorem ad frugem revocarentur quot flagellorum sulcis, quot vibicum livoribus se in dies exarabat, ita vulnera dispensans per diversas corporis partes, ut dum una coalesceret, altera feriretur, iterumque sœviret in primam vix dum coalitam, ab hac alterna, crudaque vicissitudine dirissimè cruciata. Horrebant domestici exadium parte secreta plagarum strepitum audientes latè sonorum, qui que Rosæ animum moderabatur temperari nimium rigorem jussit; sed illa infimis ab eo precibus extorsit, ut liceret sibi intra aliquot paucos dies quinque mille ictus infligere: serijs ab infantia præludiis ostenderat, quam avidè in hæc pœnitentiæ exercitamenta ferretur, nam & quadriennis sub crudorum laterum, & gravis trunci pondere sœpe laborabat, & Marianam ancillam precibus adigebat, ut se in horti angulo orantem gravissimis ponderibus oneraret, sub quibus æstuabat, gemebat, & interdum victa premebatur ad solum. At nondum quartumdecimum annum egressa sœpe nocte concubia perambulabat horum nudipes, oblongam crucem lividis humeris gestans, nec illi tunc auræ malignæ intemperies, non frigora, non ventorum turbines insuaves erant. Jussà flagellis non ferrea catena se cädere, ipsam catenam lumbis triplicato circumductu validissimè adstrinxit, & sera commisuræ angulis immissa: clavem eò projectit, unde

rc-

redire non posset. Cum verò per extitam pellim in carnis, & nervorum profunda ferrum penetrasset, jamque consepultum propemodum esset, nocte quadam acutissimus coxendicum dolor Rosam invasit, à quo, vires identidem accipiente, mox Virgo interempta fuisset; namq; catenam vi nulla aperire poterat, diu multumq; frustra luctata; sed illa confugit ad preces, quæ Cœlum ipsum aperiunt, Et ecce sera sponte diffilit, laxatur catena, diducitur; avulsione tam opus fuit, quam cutis, & crux sequebatur. Ubi primum vulnera coiverant, suo se iterum tormento Rosa incinxit, sed catenam carni rursus adnatam sibi transmitti Confessarius imperavit, & illius aliquot circuli post Rosæ obitum conservati, mirabilem spirarunt odorem, & omnibus peregrinum. Lacertis arctissima vincula circumdedit, quæ perpetim torquebant, musculos complicatos: pectus, axillas, latera morsu creberrimo vexarunt minutis sentes, & urticarum manipuli. At cilicium nacta ex acutis equorum fetis dense contextum, infra genua productum, crassitie ferè inexplicabile, triumphavit sub illo rigoris paludamento, quod infixis undique brevissimis acibus in se violenter armavit. Hoc usq; complures annos, & ob frequentem sanguinis vomitum alieno tandem imperio exuere coacta, saccum villis crassissimis gravem sibi in formam induxit aptavit, quo sub pondere æstuabat, rigebat, lassabatur

extenuata viribus Virgo, & pœna illi erat quicunque motus plumbea subucula prægravata. Plantis, in quibus tantum à vertice capitis erat sanitas, quoties domi clibanus accendebatur calcabat immota fornacis orificium, unde vehementior incendij vis crumpebat. Hisce deliciis demulcebat corpus, cui sat pœnarum afferebat, crebra ægritudo, exoptans etiam tentare majora, nisi vetuissent animæ moderatores. Quid quòd neque delicias spiritus in corpus exundare sinebat, cavens, ac totis viribus obstans, ne divinis epulis animum saginantibus reficeretur; quod ego divortium sublimibus Rosæ operibus adnumerandum reor. Hoc unum solita erat reponere culpantibus nimium in se rigorem, sinerent ipsam, quando nil boni operaretur, saltem mala tolerare.

## C A P V T VI.

**R**OSA capiti aculeatam coronam infigit: ejusdem lectulus, cervical, nocturnæ vigiliæ.

**S**pine a sepe Rosam decebat, quæ dies, & noctes hærens in flexili senticeto, quod Christi verticem insedit, in egressu pueritiae ex ductili stanno sibi coronam implicuit, additis clavicularis introrsus præacutis, & hoc diademate sibi caput incinxit non sine vulnere. plures annos duravit tib hoc spineto, quod tamen præludium